



Disputatio juridica inauguralis de pactis

<https://hdl.handle.net/1874/340707>

32

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
P A C T I S,

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

J.U.D., ejusdemque Facultatis in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ.

Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Et summis in UTRIQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum disquisitioni subjicit.

THEODORUS vander VEEENE, Amstelod.

Ad diem 29. Octobris horis locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc loc Lxxxvii.

*Clarissimis, Consultissimis, Expertissimisque
Viris Dominis,*

D. BALTHAZARI vander VEENE,
J. U. D. in Urbe Amstelodamensi Ad-
vocato non obscuro, patri meo pluri-
mùm colendo.

D. PAULO BUSIO, J. U. D. in
eâdem Civitate Jurisconsulto celeberrî-
mo, practico, jam tum per 40 annos,
summâ cum laude, indefesso.

D. ARNOLDO VINGBOONS,
Procuratori ibidem expertissimo, in
hoc munere seniori meritissimo, æisque
sui, supra invidiam, facilè Coryphæo.

Mæcenatibus meis omni, quo par est;
amore, ac benevolentia prosequendis

*Hæc Theses Inaugurales ex filiali
& singulari affectu*

Dico, dedico, consecroque

THEODORUS vander VEENE, Auth.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
PACTIS.

THEISIS I.



Nter omnes omnino ; quæ in universo
jure tractantur , materias non insimum
sanè locum sibi vendicat ea , quæ pa-
ctorum nomine designatur ; utpote
cum jure gentium æquissima , pariter
ac civili subtilissima , tum certò hodie-
num in foro longè usitatisssima .

II.

Antequam verò ad propositæ materiæ explicationem ulterius
procedatur præmittenda prius est ipsius nominis derivatio : Pa-
ctum à pactione dicitur iu l. i. §. 1. ff. de pact. sed existimandum
cum Wesenb. in parat. b. t. in princ. Ulpianum , pro ducitur,
dicitur scripsisse , adeoque rerum potius , quam grammaticarum
ordinem esse secutum : Pactum namque à pace dictum est , &
à pacto pactio , ab usitato adhuc verbo paco , unde veteres dixisse

4 DISPUTATIO JURIDICA

legimus *pacionem*, quam nunc *pactionem* vocamus; istorum autem omnium propria origo est à prisco verbo *pago*, & ab eo finitimo pango, unde pepigi, ita ut à pangendo pacti nomen sit & derivatio *Cic. lib. 2. Rhetor. ad Herenn.*

I I I.

Pactum definitur ab Ulpiano hoc modo: est duorum plurimve in idem placitum consensus *d.l. 1. §. 2. ff. b.t.* & optimè quidem, quippe pro genere ponitur consensus, utpote se extensis ad quosvis alias sive in disciplinis, sive consiliis, sive artibus, sive facultatibus consensus, atque adeò latius patens, quam suum definitum, id est, pactum. Pro differentiâ, *duorum plurimve in idem placitum*: *duorum* scilicet, ut excludantur ultime voluntates, in quibus solius testantis voluntas consideratur. *l. 12. ff. de legat. 1. in fin.* item vota & pollicitatio, in quibus unius tantum aut voventis aut offerentis promissum spectatur. *l. 2. & 3. ff. de pollicitar.* intellige tamen pollicitationem propriè dictam, quæ sit reipublicæ, nam id nomen interdum etiam pro promissione stipulanti facta, & pro pacto convento accipitur. *l. 43. §. 1. ff. de contrah.* *Empt. l. 5. C. de contr. & commit.* *Stip. plurimve*, ut contineantur pacta inter plures, quam duos inita, v. g. ubi tres fratres paciscuntur de communi hæreditate, ut in *l. 35. ff. b.t.* In idem placitum, seu, in idem, valet in eandem rem, quæ recipitur, id est, in hoc, ut aliquid fiat negotii vel contrahendi, vel dirimendi caussâ, *Arn. Vinn. Tract. de pact. Cap. 1. No. 11.*; hinc male dixeris consensum, quo duo plures ve Advocati, Medici, aut alii artis sive periti de jure, Medicinâ, aut artè suâ consulti idem responderunt, pactum esse.

I V.

Pactum, pactio, & conventio æquè generalia sunt, & eadem prorsus significare, & velut pacisci & convenire, promiscue usurpari evincitur per *l. 2. & 7. §. Sed cum nulla, cum seqq. ff. b.t. l. Solent 15. ff. de prescript. verb.* neque obstare putem *l. 1.*

DISPUTATIO JURIDICA. 5

l. I. §. 3. ff. b. t. ubi dicitur verbum Conventionis generale esse ibidem enim non intendit Ulpianus, ut ostendat pacti verbum generale non esse, quod jam ex præcedenti definitione generale esse abundè, constabat; Sed ut subveniat eorum dubitationi, quibus primò intuitu fors videri possit, confessum & factum eorum, qui de Negotio transfigunt, discessiōnem potius esse, quam conventionem ita *d. Vinn. a. tratt. C. I.*
N. 7. Citat. ad hoc donell. ad Rubr. c. b. t. N. 10.

V.

Ratione supra positorum h̄c moveri possit non infimæ sortis controversia, num videlicet cum in generali suā significatio-ne *pactum* tam latè pateat, quam nomen *Conventionis*, contratus quoque contineat? Et perpensis hinc inde rationibus ve-riorum censeo eorum opinionem, qui affirmativam tueri non reformiderat; quippe quæ ex collatione ipsarum definitionum pacti & Contractus (qui etiam est duorum plurumve in idem consensus, quique præfertim cum nec sit idem, quod pactum, nec pacti genus) fortissimè sustentetur; præterquam quod pro hujus Sententiaz confirmatione omnino faciant Textus *l. si domi-nus 8. l. Solent. 15. ff. de præscript. verb. l. legem 10. C. b. t. item in l. 6. C. de jur. dot.* ex quibus omnibus cum manifestissimè vide-re liceat ex pacto dari actionem præscriptis verbis, eaque dum non detur, nisi cum insit συναλαγω. *l. 7. §. 2. ff. b. t.* conse-quens prorsus est, genus ibidem pro *Contractu* (puta *innomi-nato*) esse positum.

V I.

Et verò non solum contractus innominatos, sed etiam certo nomine ac formâ distinctos generali suā appellatione *pactum* complectitur. Arg. est in *l. 71. ff. pro pro Soc.* ubi contractus de socie-tate modò pactum conventum societatis, modò pactum con-ventum de societate nuncupatur. Eodem vergit, quod scribit Paulus in *l. 27. §. 3. vers. idem dicemus ff. b. t.* dum ait, *pactum*

6 DISPUTATIO JURIDICA.

proficere ad novum contractum, id est, ut eam Legem interpretatur Vinnius *d. Trait. & Cap. No. 6. pactum esse novum contractum*. Atque eadem sententia dilucidè comprobatur per *l. pæcta conventa 72. pr. vers. an idem ff. de Contr. Empt.* sicut etiam pro hâc assertioni non parum facit. *L. Traditionibus 20. C. b. t. & §. 3. Inst. de Empt.* cui deinceps opitulantur *§. 1. Inst. de usufr. & §. ult. de serv. pæd.* Cum enim usufructus & servitudes dicantur constitui pactionibus & stipulationibus, non difficultè assertior eidem Vinn. *loc. sup. citat.* dicenti necessè esse, ut per *pactum contractus* quilibet juris gentium ad dominium, aut jus aliquod transferendum comparati intelligantur. Hunc tamen & præcedentem articulum ita considera, ut agi sciatur de *pacto* generaliter sumpto, non simpliciter, quod *contractui* opponitur. *l. 7. §. quinimò 5. ff. b. t. l. 1. C. de Convent.* tam *sup. dot.* & *passim DD;* & pariter, ut non incidatur in eorum errorem, qui, ut omnis *Contractus pactum* est, ita omne *pactum contractum*, unumque & idem esse clamitent, non meliori nixi fundamento, quam si dicatur omnem hominem animal, omnèque animal hominem esse.

VII.

Pactum conventum quoque idem est, quod *pactum* per se possum, atque adeò sive duo illa conjungantur, sive disjungantur, unum & idem prorsus significant. Ea verò ob eandem ipsam rationem, quâ hæc *purum putum, sartum tectum, equum bonum*, aut similia conjunguntur, conjungi quandoquè existimandum est, videlicet rei magis explicande gratiâ. Quare hîc reprobandam putem futilem aliquorum opinionem, qui *pactum conventum a pacto* per se posito differre, *pactumque conventum* id solum esse, quod scripturâ interveniente fit, animosiùs contendant. Cujus falsitas, & a me approbatæ sententiæ veritas, ut modò elucescat, adduco (ut alias Rationes prætermittam) pro meâ confirmatione eandem ipsam legem, quam illi tanquam præcipuum suum argumentum allegare consueverunt. Est autem *l. 4. ff. de pign. & hypoth.* ubi a Gajo hæc verba traduntur: *Et ideo & sine scripturâ si convenit, ut hypotheca sit, & probari poterit,*

I N A U G U R A L I S. 7

res obligata erit, de quâ convenientur. ex quibus verbis recte infero pactum conventum etiam sine scripturâ fieri posse, & rectè subsistere. Et quanquam nimis clarum est, quam ut contradicere possit, quin pacta conventa subinde scripturâ interveniente fiant, nunquam tamen & nusquam id scripturâ solâ fieri debere evinatur: Tametsi pariter non inficiar pactum conventum nonnunquam usurpari pro instrumento, in quo pactum conventum descriptum est, ut in l. 71. ff. pro soc. item in l. 7. §. 12. ff. h. t. sic ponitur stipulatio pro scripturâ de stipulatione, cautio pro scripturâ de cautione factis. l. 1. ff. ae edendo. l. 2. ff. b. t. at figurate solum, & veluti contentum pro continente.

V I I I.

Controvertitur, nûm instrumenta & scripture requirantur ad essentiam pacti sive contractus? & pro negativa respondendum, non requiri, pignusque emptionemque aliosve contractus efficaciter valere & subsistere, & tanquam validè & legitime confecta custodiri debere, tametsi nullum instrumentum, nullâve scripture intervenierit, modò de voluntate & consensu contrahentium aliis legitimis probationibus, puta, testibus, confessione partis, aliisque documentis rei gestæ veritas possit confirmari; hinc instrumenta, si interveniant, solum adhiberi, ut, quod actum est, facilius possit probari. Textus sunt expressi in d. l. 4. ff. de pign. & hypoth. l. 4. ff. de fide instr. l. cum res C. de probat. l. 9. & 10. C. de fide Instr. l. 5. C. de transac. l. pactum 17. C. b. t. & Bronch. Miscell. contr. cent. 1. Assert. 86. & 89. Nec quidquam movent objectiones in contrarium allegari solitæ, cum in contra-ctu emphiteutico, de quo l. 1. C. de Jure Emph. aut in donatione, de quâ l. sancimus 34. C. de donat. aut in immobilibus ecclesiæ alienandis, de quibus Auth. hoc jus porrectum de Sacr. Eccl. aliisvè casibus vel militet timendus futuræ probationis defectus, vel publica utilitas, vel speciale jus aut privilegium.

I X.

Prima pacti divisio est, in publicum & privatum. Pactum publi-

8 DISPUTATIO JURIDICA

publicum est , quod fit ex caussâ publicâ. *l. conventio 5. ff. b.t.*
 id autem contingit vel per Principem, quemadmodum pro' per
 Pacem vulgo legitur. Princeps namque, uti Magistratus supe-
 rior, seu *souvenereyniteit*, uti hodie Ordines in suâ quique pro-
 vincia, de negotiis ad Rempublicam spectantibus recte, & utili-
 ter paciscitur , bellumque indicere , pacemque inire potest,
 etiam remittendo damna & injurias belli tempore, privatis illa-
 tas , maximè si aliter pax haberi nequeat. *Arg. in l. 1. §. 2. ff. de*
Just. & Jur. utpote quod favor publicus privatæ utilitati sit pre-
 ferendus. *l. utilitas 3. c. de primis. & expeditat toti reipublicæ, ut*
 aliquando pax ineat, etiam si subditii non consentiant : pacifi-
 cationes namque optimæ sunt , & non , ut antè malorum re-
 cordemur, sed ut offendarum memoria deleatur, instituuntur,
 cogitaturque tunc temporis de sarcendi in præsens amicitia, &
 non de differendis, sed auferendis malis. *Grot. de Jure Belli, &*
pacis. cap. 20. *Gail. cent. 2. obs. 57.* *Myns. cent. 4. cap. 9.* vel fit per
 Belli duces, seu, qui alterius ductu & auspiciis bellum gerunt.
d. l. 5. ff. b.t. sed ii de his solum , quæ ad belli administrationem
 pertinent, quæque ipsis concessa iutelliguntur, jure pacisci pos-
 sunt, proinde nec bellum indicere, nec pacem inire, etiam si plena
 liberaque potestas eis fit demandata : Nam hæc cum jure Imperii
 soli Principi aut Reipublicæ nominatim competunt, non
 debent transferri ad alios, nisi illis specialiter concessa. *l. obliga-*
tione generali ff. de Pign. & hypoth. Bronch. Miscell. quest. d. Cent. 1.
Assert. 16.

X.

Ad *publicam conventionem* minimè pertinet, dum Princeps cum
 suis subditis contrahit vel paciscitur vendendo quid emendove;
 non hæc siquidem facit ut Princeps, sed ut privata persona; hinc
 æquissimum & certissimum est, Principem in his jure privatorum
 uti, ideoque ad pacta contractusque cum suis subditis inita ser-
 vanda teneri, ex iisque efficaciter obligari. *Wesenb. in parat. ff.*
de const. princ. in fine, non solum naturaliter, sed etiam civili-
 ter , ne alias hominum commercio exuatur , cum æqualitatem
 in contractibus proportione Arithmeticâ servari requiratur. *l. La-*
beo

beo 19. ff. de V. S. nihilque majorem laudem mereatur, quam recta, fides in Principe. *l. inter claras C. de summâ Trinit. & fide Cath.*

X I.

Quæri fortassis & dubitari posset, num fides hosti servanda? Ego verò, omni dubitationis nebulâ discussâ, affirmativam sustineo: Fidei etenim observatio ex jure gentium est. *l. 1. ff. b.t.* & cum hostibus nobiscum intercedit communio juris gentium *l. ult. ff. de legation.* Nec quicquam contra faciunt. Textus in *l. r.* §. 3. *ff. de dolo malo l. 2. C. de Commerc. & Mercator. l. 1. ff. quod metus causâ.* Quid ni & cum latronibus, prædonibus, piratisque Barbaris servanda est fides? et si enim nobiscum non habeant specialem illam communionem, quam inter hostes in bello solenni introduxit jus gentium. *l. hostes sunt 24. ff. de Capt. & postlim.* communionem tamen habent juris naturæ, ex quâ nascitur ut pœta servanda sint. *l. 31. ff. depositi. l. 16 ff. Commodat.* idem dicendum de detegentibus conjurationem, fidem nempe illis esse servandam. Grot. lib. 3. cap. 19. & 4. seqq. de Jure Belli & pacis.

X I I.

Privata conventione est, quæ fit ex causâ privatâ *l. 5. ff. b.t.* ea-que rursum est vel legitima vel juris gentium: cave tamen hinc colligas esse Conventiones, quæ non sunt juris gentium. Omnes enim Conventiones ex naturâ & origine suâ sunt juris gentium; & si quæ sunt, quæ *Jure Civili ac prætorio introductæ* dicuntur, non nisi sub certo modo ac formâ civiles prætoriæ esse constanter teneo cum *Clar. Vinn. comment. in instit. lib. 1. tit. 2. §. 2. de jure natur. gent. & Civil. & lib. 2. tit. 7. de donat.* item Bachov. ad *Instit. d. lib. 1. tit. 2. §. 2. de jur. natur. gent. & Civil. text. 3. in fin.* Conventio porrò legitima dicitur ea, quæ lege aliquâ confirmatur. *l. 6. ff. b.t.* cuius exempla passim vide apud DD. Arn. Vinn. d. Tract. de pact. cap. 4. per tot. *Weisenb. parat. b. t. No. 4. Alibus. dicaeolog. lib. 1. cap. 90. b.t. uti & in l. 7. §. 12. l. 10. §. 1. l. 45. l. 48. ff. b.t. l. petens C. b.t.* huc referri possunt, quæ habentur *tit. ff. de*

10 DISPUTATIO JURIDICA

*Constit. pecun. item in l. 1. ff. de pign. Att. unde §. item Serviana 7.
Inst. de action. l. 1. unus 27. §. 2. vers. sed si pactum & §. 4. ff. b. t.
Conventio legitima a DD. vocatur ea, quæ lege novâ ad ple-
nam obligationem producendam adjuvatur & confirmatur; vel
quæ manente nudâ ac simplici formâ conventionis confirmatione
alicujus legis (puta speciali) efficax est vel ad obligandum, &
agendum, vel ad obligationem, & actionem ipso jure tollendam.
Althus. diceolog. lib. 1. cap. 90. Vinn. cap. 4. d. Tract. de pact. d. l. 7.
§. 1. pacifcar. 14. eod. cæterum hic obiter notandum pacta legitima
quamvis communem vim obligandi cum contractibus habeant,
esse, & manere pacta nuda, per ea, quæ tradit D. Vinn. T. Tract.
cap. 8. No. 26. & iidem Comment. ad Inst. lib. 3. de Obligat. in fin.
Et sic veteres omnem Conventionem, extra Contractum, non alio
nomine, quam pacti nudi simpliciter appellare confuerunt; etiam
quæ obligandi efficaciam habet. d. l. 6. & 7. §. 5. ff. b. t. l. 10. &
13. C. eod.*

X III I.

*Privatarum juris gentium conventionum aliæ sunt nude, aliæ
non nude. Nuda conventio describitur hoc modo: est conventio,
qua in nudis placiti & conventionibus finibus stat, nec certum nomen
habens, nec ullam obligandi causam præter conventionem. d. l. 7 ff.
§. 1. 2. & 4. l. 72. C. de locat. & conduct. Vocaturque in jure sa-
pius pactum simpliciter, ut in d. l. 7. §. 4. & seqq. l. 10. C. eod. l.
15. ff. de præscrip. verb. d. l. 27. C. de locat. & conduct. l. 1. C. de pact.
covenant. l. 5. C. de contr. & Committ. stipul. quanquam pactum nu-
dum alias subinde conventiones comprehendat, & sic opponatur
pacto nudo a traditione. l. 20. Traditionibus C. h. t. appellatur ve-
rò pactum nudum, quia solum pactum est, & nihil amplius. l. 23.
C. de pign. & hypoth. nimirum eadem ratione, quâ nuda proprie-
tas, nudus consensus, nuda voluntas dicitur: atque hinc ab-
unde satisfactum est opinioni pactum nudum pactum non esse vo-
ciferantium; a quibus id factum velim, ut probent, aut homi-
nem nudum hominem non esse, aut pactum nudum pactum esse
concedant. Pacti verò nudi Jure Civili Romanorum ea tantum
vis erat, ut exceptionem pareret, non autem actionem. d. l. 7.
§. sed*

INAUGURALIS. II

§. sed cum nulla. ff. b. t. l. in bona fidei C. eod. simil. Cur aliquando proverbii loco habitum, ex pacto Actionem non nasci: ut patet ex d. l. 10. C. h. t. l. i. C. de pact. convent. tam sup. dot. Rationes autem cur ex pacto non nasceretur actio, variæ adferri possunt, præcipue tamen sunt, ut fides sola esset virtutis incitamentum, ut præscinderetur litium multitudo, & ut liberrima maneret oris facultas. Alth. & Vinn. loc. sup. citat. Hodie moribus nostris datur ex nudo & simplici pacto actio. Gudel. lib. 3. cap. 5. de Jur. Nov. Grot. lib. 3. Introd. ad Jurispr. Batav. c. 1. sub fine, eidemque eadem vis est, quæ est stipulationie Jure Civili.

X I V.

Conventio non nuda sive vestita est, quæ puri placiti fines egreditur: atque id dupliciter accidit; vel enim proprium nomen habet, vel eo deficiente subest caussa per d. l. 7. §. 1. & 2. ff. b. t. & talis Conventio uno verbo dicitur Contractus qui sic rectè definitur, est conventio habens nomen speciale, vel eo deficiente civilem obligandi caussam; per d. l. 7. d. §. 1. & 2. ff. b. t. itaque duo sunt harum conventionum genera; alterum quidem earum, quæ specialē nomen habent, ut emptio-venditio, locatio-conductio, societas, mandatum, depositum pignus, & similes contractus, qui, quod certum nomen habent, vocantur nominati, & obligationem actionemque certo jure producunt; non utique propter nomen, sed propter utilitatem commercii, vel potius, ut tradit Grot. lib. 2. de Jure Belli & pacis, propter vim & naturam, quam ex frequentiori usu acceperunt. Alterum genus earum est, quæ quidem nomine proprie carent, sed quibus præter consensum subest caussa, quæque pariter obligationem & Actionem producunt. Per caussam intelligo non finalem, non impulsivam, qualis etiam in pactis nudis reperitur. l. 21. C. h. t. l. 28. C. de Transac. sed dationem vel factum, ut liquet ex d. l. 7. §. 2. ff. b. t. l. 5. per tot. l. 8. l. 15. ff. de prescrip. verb. l. 6. l. si profundo. 33. C. de Transac. l. 6. C. de Rerum permis. & simul. alias negotium nuncupatum. d. l. 15. ff. de prescrip. verb. & negotium civile. l. 1. ff. de estim. græcis ουνναλαγωα dictum. Intelligo porrò per dationem aut factum negotium vel præsens vel præteritum, vel futurum. Alth. dicaolog. lib. 1. cap. 87. No. 3. de primo genere contractu.

12 DISPUTATIO JURIDICA

tract. innominat. hæ conventiones vocantur *Contractus innomina-*
ti, suntque hi quatuor, *do*, *ut des*; *facio*, *ut facias*; *do*, *ut fa-*
cias; *facio*, *ut des*. de quibus in *I. naturalis*. & per tot. ff. de *pro-*
scrip. verb.

X V.

Non importunè hic videre lubet, num modò tradita *Contra-*
ctus descriptio nimis latè pateat? *Labeo Contractum* sic definit, ut
dicat esse ultrò citròque obligationem, id est, negotium unde
ultrò citròque obligatio nascitur *I. 19. ff. de verb. sign.* sed dicen-
dum *Labeonem* ibidem *Contractum* non generaliter definiisse:
Quare pro negativâ standum est, & proposita superiori articulo
Contractus descriptio admittenda; utpote, quæ etiam complecta-
tur ea negotia, ex quibus tantum unus obligatur: Qualia sunt
mutuum, stipulatio, donatio, & similia. In *Mutuo* siquidem
debitor pecuniam accipiens solum obligatur. *I. certi 9. §. quoniam.*
ff. de Reb. cred. in stipulatione promissor solum, non verò stipu-
lator obligatur. *I. 5. §. stipulatio ff. de verb. oblig.* In donatione so-
lum donans non donatarius. Hinc assentior *Clar. Vinn. Comment.*
in Inst. lib. 3. tit. 15. §. 2. de Commodat. No. 2. dicenti *Contractuum*
quosdam esse *μοντεύψες*; qui ex uno tantum lateri obligant, cu-
jus generis sunt mutuum, & stipulatio; quosdám esse *σιπλεύψες*,
qui ultrò citroque, quales sunt emptio, locatio, societas, ex
quibus statim mutua nascitur obligatio: quosdam esse media inter
hæc naturæ, ex quibus quandoque unus, quandoque uter-
que obligatur; quamquam & h̄i inter *σιπλεύψες* numerentur, per
ea, quæ tradit *D. Vinn. comment. ad inst. lib. 1. tit. 21. de Autoritat.*
tutor. sunt autem commodatum depositum, pignus, qui con-
tractus naturâ tantum comparati sunt, ut unum duntaxat obli-
gent, eum videlicet, qui accepit: sit tamen aliquando ex post fa-
cto & accidenti, ut is pariter, qui dedit acceptanti obligetur, ve-
luti si ab accipiente in rem acceptam necessariæ impensæ factæ sint.
I. in commodato 17. §. 3. I. in Rebus 18. §. 2. I. penult. ff. commodat. *I.*
si servus ff. de pign. *Att. I. 5. ff. depos.* Tametsi verò *Contractus* di-
catur quasi *contra-actus*, priori tamen sententiae insistendum, *Contra*
enim haber duas significaciones; aliquando namque stat pro
vicissim; & sic erit ultrò citròque *actus*, aliquando dictio *Contra*

pro

pro *adversum* accipitur, & sic poterit referri ad *Aetum* ex unâ parte tantum. v. g. ad *Aetum donationis*, in quo solummodo do-nans obligatur. Itâ eruditè docet *Mozzius. Tract. de contract.*
Axol. I. No. 16.

X V I.

Cæterum *pacta* alia sunt *bona fidei*, alia *stricti juris*. §. *Actionum Inst. de Aetion. Bona fidei* dicuntur, quia in iis exuberat bona fides, & ex *equo* & *bono* in iis maxime proceditur. l. *bona fides* 31. ff. *depositi*. *Stricti* verò *juris* dicuntur, quia non venit in iis, nisi quod exigit natura *pacti* sive *Contractus*, & quod nominatim in *Conventionem* deductum est. l. *quicquid ff. de VS. Pacta* etiam alia sunt *in rem*, alia *in personam*. l. 7. §. *pactorum ff. b.t.* exemplum *Pacti in rem* est in d.l. 7. §. eod. *in personam* autem in l. *idem in duobus* 25. §. 1. ff. *b.t.* utrum verò *pactum in rem* sit, an *in personam*, non tam ex verbis, quam ex mente pacientium *aestimandum* est, & in dubio pro *pacto in Rem* præsumendum. *Pacta* denique alia sunt tacita, alia expressa. Expressa quidem, quibus per verba, aut per epistolam nuntiumve pacientium voluntas significatur. *Tacita*, cum nihil eorum interveniret, quorum tamen eadem vis est, quæ est expressorum l. 2. ff. *b.t. ex tacito pacto* investita ab inquilinis in *predium urbanum* locatori sunt ob-ligata pignori. l. 4. l. 6. ff. *in quibus cauf. pign. tac. contr.* diversum est in *prædiis rusticis*; *investita enim & illata in predium rusticum* non sunt tacite obligata; sed tum demùm, si nominatim convenerit inter colonum & *prædiū dominum*: *fructus* siquidem tantum, qui ibi nati sunt, tacite sunt obligati pignori ob mercedem locationis. l. *eo jure. l. in prædiis. ff. in quib. cauf. pign. tac. contr. l. 3. & 5. C. eod. §. 3. in fine Inst. de interd.* sicut nec res a mi-nori sine tutoris auctoritate in locum aliquem illatas ex tacitâ con-ventione teneri tradunt Vinn. d. *tract. de palt. cap. 12. No. 8.* per *Text. & DD. ibid. allegat. Dambouder. tit. de tutor. & curator. mun. cap. 7. No. 60. Bronch. miscell. corvovi. cent. 1. assert. 76. Mozzius. tract. de pign. & hypoth. No. 17. & 18. tit. *dereb. que pign. dari poss. vel non. diff. Negus. p. 2. Membr. 4. No. 154 cum DD. eo loco citat.* Ex *Tacito* quoque *pacto* redditio chirographi a debitore facta in-dicit debiti remissionem. l. 2. §. 1. ff. *b.t.* etiam pignus, si quod*

14 DISPUTATIO JURIDICA

intervenerit, remissum. arg. in *l. in omnibus 43. ff. de Solut. l. 7. C. de remiss. pign.* secus dicendum in pignore, in cuius restitu-
tione non intelligitur facta debiti liberatio, sed tantum pigno-
ris obligatio soluta censetur. *l. 2. & 3. ff. b. t. l.* creditricem. *C. de Remiss. pign.* fusiū hāc de re vide Bronch. cent. *l. assert. 38.* item
Vinn. d. Tract. de pact. Cap. 12. per tot.

X V I I.

Propositis variis pacti descriptionibus, variisque ejus divisionibus & subdivisionibus, restat, ut, qui pacisci possunt, bre-
viter videatur. Pacisci autem possunt omnes, qui consentire &
jure gentium se obligare possunt hinc mutus *l. 4. §. 1. ff. b. t. sur-*
dus l. 48. ff. de oblig. & aet. prohibetur verò furiosus, quia eum
nullum negotium rectè gerere, aut contrahere posse manifestum
est, per *l. 1. §. furiosus, 12. ff. de obl. & aet. l. si à Reo 70. §. 4. ff.*
de fidejuss. & Mandat. l. 5. ff. de R. J. Furiosus enim est expers
voluntatis & mentis. *l. furiosus 40. ff. eod. l. 2. C. de contr. Empt.*
adèò quidèm, ut ne tutore auctore quid agere valeat. *d. l. 5. ff.*
de R. J. Si tamen furiosus dilucida intervalla habeat, quod intermissione furoris gestum est, ratum erit *§. 1. inst. quib. non est*
permitt. fac. Testam. l. 9. G. qui Testam. fac. poss. prohibetur quoque
mente captus, quoniam in eo eadem ratio est, quæ in furioso,
nempe quod mente caret. *§. furiosus. 8. inst. de inutil. stipul.* item
ebrius, cum ebrietas sit voluntaria insania: nec non prodigus
nisi ut sibi acquirat. *l. 6. ff. de verb. oblig.* postremò infans. *l. 11.*
§. 2. ff. de adm. Tut. l. 14. ff. de spon. sal. l. 18. ff. de jnr. de liber. &
generaliter minores 25 annis Curatorem habentes sine consensu
ejus jure civili non obligantur. *l. 3. C. de in integr. inst. min.*
quanquam pubertati proximi, etiamsi locupletiores facti non
sint, ex conventione suâ naturaliter obligentur. *l. cum illud 25*
§. 1. ff. quand. dies. leg. ced. l. si pupillus ff. ad leg. falcid.

X V I I I.

Prusquam pactorum disquisitionem concludam, non abs-
re est, ut si quæ pacta valeant, videre lubeat, pacta, quæ non
valeant, proponantur. Summatim verò ex pacta non valent,
quæ fiunt de iis, quæ aut lege, aut naturâ prohibita sunt. *l.*
pacta. C. b. t. l. 7. §. pretor. ff. b. t. Exempla eorum, quæ jure
civili

civili prohibentur, passim extant in *l. contra 28. ff. b.t. l. jus agnationis ff. b.t.* Naturā autem ea prohibentur, quæ in se turpitudinem continent, puta, ut maleficium fiat. *l. quod a 53. pro Soc. l. generaliter ff. de V.O. l. si unus 27. §. pacta 4. ff. b.t.* ejusdem etiam generis sunt pacta de Hæreditate viventis. *l. pactum 15. l. licet. 19. l. ult. C. b.t. l. 5. C. de pact. convent. l. 3. C. de collat. l. stipulatio 6. ff. de V.O. l. donaxi 29. §. ult. ff. de dorat. l. ult. ff. de suis & legit. Hæred. l. 4.. C. de mutil. stipul. l. cum donationis C. de Transfac. Scheidnew. ad lib. 4. inst. de Action. §. item si quis postulante N. 6. per Text. ibid. allegat. pari omnino ratione pacta de mutuā successione (nisi fortassis militum exceperis) sunt habenda d. l. 9. C. h.t. Frach. lib. 5. controv. cap. 86. & 87. Vinn. d. Tract. de pact. Cap. 19. No. 2. diff. Bronch. Miscell. contr. Cent. 1. Assert. 16. Gail. lib. 2. Obs. 126. Myns. cent. 2. Observ. 33. hodiè vero hujus-nodi pacta subsistunt. Mornac. ad d. l. 15. C. b.t. Sand. de feud. Golr. Tract. 1. Tit. 2. cap. 8. Neostad. de pact. ante nupt. Obs. 1. & 22. 3. Cozen. conf. 9. chop. 2. de Morib. paris. N. 2. Groenew. ad d. l. 5. C. de pact. convent.*

XIX.

Nobilissima in jure dissertatio est, & in praxi utilissima observatio: an remissio debiti debitori facta à majore parte creditorum cæteris præjudicet? pro affirmativâ videtur facere, quod dicit Welenb. par. de pact. No. 10. item quod traditur in *l. 10. Rescriptum ff. b.t.* negativam tamen sustinere magis placet, probaturque per *l. debitorum 25. C. b. r. per l. non debet 74. ff. de R. f. per tot. tit. C. Rrb. inter alios l. solvendo 39. C. de neg. gest.* Excipe casum, de quo in *l. 7. juris gentium §. hodie ff. b.t.* idque propter specialem creditorum utilitatem: si enim defunctus non haberet hæredem, non haberent illi quem convenienter. §. 2. in fin. inst. de leg. falcid. idem dicendum in debitore latitante, ut tradit Marth. de afflit. decis. 288. dictis casibus intellige tam absentes (maxime recte & tempestivè citatos) quam præsentes creditores plurimum exemplum seqni debere. *l. Rescriptum 10. ff. b.t.* etiam quantumvis privilegiarios d. l. *Rescriptum* nec non eos, qui inter Chirographarios privilegium aliquod personale habent. *l. qui in navim. 26. l. quod quis 34. l. bonis 38. de Reb. auct. indic. poss. l. sponsa:*

18 DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

sponsa 74 ff. de jure dot. non vero hypothecarios. d. l. *Rescriptum*; neque fidejussorem vel mandatorem habentes; ratio extat, in l. Si precedente 58. §. 1. ff. *Mandat. &c apud. Trentacing. Resol. lib. 2o. subdit. de solut. cap. 3.* in dandis verò induciis hypothecarii pariter suffragium majoris partis creditorum (quæ pro modo debiti, non pro numero personarum accipienda est l. 8. ff. b. t.) sequi tenentur. l. ult. vers. Nulla quidem differentia C. qui bon. ced. poss. ait. hodiè apud nos, & in galliâ pactum majoris partis creditorum dissentientibus neutiquam obest. *Edit. Cax. v. edit. 19. Maij 1544. Antb. l. 35. Groeneweg. de ll. abrogat. add. l. 8. ff. b. t. Zyp. Not. jur. Belg. qui bon. ced. poss. in vers. sed neque. Consult. 218.* & ità in Galliâ judicatum refert *Autumnus. Cens. Gall. ad l. 7. §. ult. & d. l. 8. ff. b. t.* sed nec pactas à majori parte creditorum inducias cæteri sequi tenentur, nisi oblatâ cautione & judicis decreto interveniente d. *Antl. 35.* & ità in supremo hollandiæ Senatu judicatum testatur Neostad. *decis. supr. cur. 53.*

X X.

Coronidis loco venit pactorum interpretatio, quam ex pacientium voluntate metuendam, idque, quod actum est, pro cauto habendum docent. l. *semper 34. ff. de R. J. l. 3. ff. de Reb. cred.* Si verò quedam sit verborum ambiguitas, quod tacitè, cogitatèque actum, spectandum est. Arg. in l. ubi 21. l. cum in Testamento 24. ff. de Reb. dub. l. 77 ff. de contr. empt. huc referri possunt textus in l. 125. de V. S. l. in ambiguis 96. l. rapienda 168. ff. de R. J. l. 3. ff. de Reb. dub. Ast si, quod actum cogitatumque est, non appareat, quod rei gerendæ est convenientius, sive quo res tutior est, accipiendum est. l. *quoties 67. ff. de R. J. l. ubi 21. ff. de Reb. dub. l. quoties 80. ff. de V. O.* maximè autem, quod verò limilius est, considerandum l. in obsc. 114. ff. de R. J. quod si ne id colligere liceat, locus erit Regulæ Ulpiani in l. 9. ff. de R. J. atque in dubiis, quod minimum est, sequendum. Postremò notandum pactionis interpretationem contra eum faciendam, in cuius potestate suit legem apertius dicere contractui. l. cum queritur ff. de Reb. dub. l. in contrahende 172. ff. de R. J. itaque in venditione contra venditorem, in locatione contra locatorem interpretandum l. *Veteribus. 39. ff. b. t. l. Labeo 21. ff. de contr. empt.*

F I N I S.